



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Synopsis Magnalium Divi Josephi

Ignatius < a Sancto Francisco >

Leodii, 1684

Proëminum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38500

XII. Quod si beati oculi qui viderunt quæ Sancti Apostoli Luc. cap. 10. vers. 23. Ipse (inquit Cardinalis Toletus ad illum locum convertens se ad Divum Josephum) ipse, inquam, non solum vidit & audivit, sed in ulnis sepe portavit. Quid admirabilius (verbis utor Divi Laurentii Justiniani in falciculo divini amoris) quam Dei Filium Virginis mammam fugere, Iosephi foveri in gremio? Falsus Ioseph, inquit S. Thomas de Villâ Noyâ, cui donatum est talibus interesse mysteriis, horum gaudiorum fieri consortem, qui dulcissimos audire concentus celestium spirituum, audire triplaudia, videre obsequia, ovantes Angelos, adorantes Reges, letantes Pastores, beatis oculis inspicere meruisti.

*Quis ergo deneget, concludo verbis XIII.
Divi Bernardini Senensis tom. 3. serm.
de Sancto Iosepho, quod ipsi tenenti
Christum in brachiis tanquam Pater, &
balbuenti, aut confabulanti cum ipso ut
Pater, Christus sive infans, sive adultus,
non ingereret, aut imprimaret ineffa-
biles sensus, atque jucunditates de semet-
ipso, & hoc cooperante interiori gratia
Christi, cum filiali aspectu, afflatu, atque
amplexu. Quod si haec Jesus in D. Iose-
pho actione intentionaliter seu objectiviter
quid efficientia reali assentior Isidoro
Isolano part. 2. cap. 15. dicenti: Eges-
sus IESUS ex utero Virginis, Iosephi cor
vulneravit eterni amoris indestituta ci-
catrice.*

TRACTATUS TERTIUS.

D. JOSEPHI SANCTITAS ex nonnullis ejus Virtutibus.

NON inefficaciter, ut tamen arbitror, Divo Josepho strictæ ac vere paternitatis jura respectu Christi Domini, quāvis cum non genuerit, asseruimus Tractatu præcedenti: Quare licet in eo aliquibus forte parum prolixia fuisse videri possimus, nescio tamen an omnino recte. Meminerit si quis est talis, melius esse dicere fuisse, quām confusē, neque ex verborum mensurā pensandam esse prolixitatem, sed ex ipsa materia verborum: itaque virtuosæ prolixitatis argui non posse Tractatum illum cuius prolixitas non consistit in verbis inutilibus, sed in explicatione congruā, in multitudine probationum, & copia objectionum & solutionum. Hinc eloquentia latina Princeps Cicero: *Nig-
mis longum non est, inquit, cui nihil adi-
mi potest, cui concinit Isidorus Pelu-
siota epist. 57. dicens: Ver abrevitas cum
perspicuitate conjuncta, non in argu-*

*mentorum pretermissione, sed in earum
rerum, quæ ad institutam materiam nihil
opus conferunt, rejectionis sita est. Ut enim
ea que ab orationis argumento aliena sunt
ponere, supervacaneum est; ita etiam eo-
rum, quæ ad ipsius confirmationem aliquid
momenti adferunt, nihil omittere necessè
est. Quocirca ne tu quoque, si in pugna-
cem atque in argutricem orationem inci-
das prolixitatem accuses; verum illud co-
gita, non aliter eam, id quod quarebatur,
perspicue declarare potuisse, nisi longo ver-
borum ambitu uteretur. Nam si affir-
mantum duntaxat & pronuntiadum sit,
brevis sanè atque compendiosa sit oratio.
Si autem probandum & demonstrandum,
tum verò, ut in longum quidem extenda-
tur, omnem autem redundantiam atque
earumdem rerum repetitionem fugiat, ne-
cessè est. Et Divus Augustinus in P. oë-
mio Retractionum suarum. *Absit,*
inquit, *ut multiloquium deputem, quando
necessaria diuuntar, quantumlibet sermo-
num multitudine ac prolixitate dicantur.*
Melius adhuc & pressius in Exposit.*

Fff

psalmi

psalmi 18. locum obscurum explicatus ait: *Si hoc planum esset unum aliquid audiretis: quia verò obscurè dictum, multa audituri estis.* Qui tamen ut multitudinem illam cum brevitateflare ostendat, ait in initio ejusdem psal. *Psalmi hujus textum breviter percurramus.* Denique in istâ Divi Josephi paternitate omnia illius magnalia in ordine gratia & gloria, ut & Sponsa ejus in tuâ maternitate, fundantur: quare in illâ stabiendi nihil omitti debuit: & haec fure causa justæ prolixitatis, non superfluitatis.

II.

Manent itaque ex assertâ ibi Divi Josephi ad Christum paternitate plenissimè ac sufficientissimè probata, quæ Parte primâ Tract 1. & Tract. 3. de gratiis illi ante paternitatem istam adeptam, sed tamen ejus aliquando futura intuitu collatis, ut scilicet ad illam convenienter, ut decebat, disponetur pronunciavimus, qualia sunt illa quæ de ejus singulari prædestinatione, de copiosâ ejus in utero sanctificatione, de confirmatione in gratiâ, de accelerato rationis usu, de somite restineto, de castitate & virginitate plus quam Angelicâ differamus: Quid enim est gratia, quod non debetur Patri Dei ex illis, quæ congruâ ipsius ad tale munus dispositioni conveniebant, quæ alii cō in hæritoribus, collata fuisse dico scuntur? & quantum quæcœ supra illos ex rectâ ratione?

III.

Verum enim verò in hâc quoque assertione jacta sunt fundamenta & præjudicia solidissima ad ea quæ deinceps dicturi sumus, maximè hoc Tractatu de ejus Sanctitate & non nullis ejus virtutibus, & Tract. 1. Partis sequentis de ejus gloriâ apud Deum incomparabili, & Tract. 3. de ejus Patrocinio singulari: sunt enim ista illius Præcelissimæ Dignitatis appendices & sequelæ.

IV.

Sed esto certissimum sit hoc, efficacissimèque ex assertâ Divi Josephi paternitate concludatur, ipsum cum gratiis, quibus ad illam præparatus est, illarumque bono usu & nunquam interrupta illis correspondendi sedulitate, nescio aliis eâ dignitate adepta ei ubertim adiectis, ad inconceptibilem sanctitatis & perfectionis gradum con-

scendisse, quem non aliter explicare possumus, quam dicendo fuisse tam, ut nulla sub Dei Matre major unquam extiterit sanctitas aut futura sit: non parum tamen confert ad istius solidissimi præjudicii credibilitatem, & tantè ex eo antecedente trahi solite à sapientibus omnibus consequentia firmitatem, spiritualem etiam nostram ædificationem, illas ejus virtutes introspicere, quas præ ceteris divinum, licet paucis, in eo observavit & commendavit Evangelium, ut nos illas nobis ipsis proponeremus imitandas tanquam summas, ut pote quas ab ipso Iesu omnis sanctitatis Magistro docente & faciente didicit, & simul cum illo per totos triginta annos exercuit.

Et quia humilitas, omnium sensu, est ceterarum basis & fundamentum, ideo ab illa hanc materiam auspicabimur, finiti per charitatem quæ est earumdem forma & complementum.

CAPUT PRIMUM.

De profundissimâ D. Josephi humilitate.



Uo Divus Justinus Martyr cognomento Philosophus, quæst. 36. ad Orthodoxos de Diva Deipatâ affirmavit, hoc Sanctissimo ejus Sponso Di-
vo Josepho aptare non dubito, Beatiorem fuisse virtute quâ Pater Dñi esse meruit, quam dignitate, quâ Pater Dñi effectus est. Nam Salvator ipse mulier cuidam, quæ extollens vocem de turbâ dixit ei, Beatus venter qui te portavit, & ubera que suxisti. Respondit, Quinimum Beati qui audiunt verbum Dñi & custodiunt illud. Luc. cap. 11.

Sed quâ potissimum virtute istud decus comparasse dicendum est? Censo prorsus (& quis aliter?) cädem quâ Sponsa & conjux ejus suam maternitatem. Hanc porro quâ virtute illâ? variant Authores in illâ assignandâ.

Primum fuisse Fidei ipsis visum fuit Sancta Elizabetha Marri S. Joannis Baptiste: ait enim hæc Maria, Beata que credidisti, quoniam perficiuntur in ea que dicitur sunt tibi à Domino. Hanc videtur